



RESOLUTIO XXIV.

De Conservatoribus.

QUESTIO PRIMA.

Quid intelligitur nomine Conservatoris, & à quo, & quibus datur?

SUMMARIUM.

- 1 Quid intelligitur sub nomine conservatoris.
2 Conservatores, e. si Judices delegati se habent tanquam Judices Ordinarij.
3 Inde conservatores in suis luteris, ac citationibus se debent habere, ut alij Judices Ordinarij.
4 Solus Papa potest instituere conservatores.
5 Facultatem ad eligendum conservatores habent Pralati Religionum, & Fratres.

1. N Omine conservatoris intelligitur Judex delegatus à Papa ad tuendos Regulares, contra apertas, & manifestas injurias illatas ab aliquo, judiciali non utente indagine. Quod aperte constat ex cap. Statimus, de offic. Judic. deleg. in 6. ut explicant Azor, tom. 2. lib. 5. cap. 35. quest. 1. Sorbus in Compend. privil. Mendicant. v. Conservator, §. Sunt autem. Ex quibus deducitur, quod conservator sit Judex delegatus, cum jurisdictione non competat illi ex officio, sed ex delegatione, ut bene adnotarunt Molina de justitia, tom. 6. disp. 29. n. 1. Barbosa de potest. Episcop. 106. qui etiam bene advertunt, quod licet conservator ex vi juris communis, solum sit Judex delegatus ex privilegio multarum Religionum, est Judex Ordinarius, ut bene advertit, & probat Lezana tom. 1. cap. 10. n. 25.

2. Primò, ex privilegio Bullato Pii V. & Gregorii XIII. (ut habetur ejus in Compend. fol. 120. ubi expresse conservatores, vocantur Judices Ordinarii Secundò, quia in dictis privilegijs conceditur conservatoribus facultas ad delegandam suam auctoritatem, ut patet ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis qui in suo mari magno de conservatoribus agens ait, ut per se, vel alium, vel alios. Et in Bulla Clementis VII. pro Patribus Societatis, his verbis: Per se, vel alium, seu alios. Solus autem Judex Ordinarius, vel quasi Ordinarius habet potestatem ad delegandam, Tertio, quia aliqui illorum dantur ad universitatem causarum. Judex autem datus ad universitatem causarum, ut Judex Ordinarius habetur Glossa in cap. Cum causam, de appellationib. Sylvester verb. Delegatus n. 12. Rodriguez tom. 1. quest. 51. art. 3. & 4. Quod autem dentur ad universitatem causarum constat ex citata Bulla Sixti IV. pro Carmelitis: In quibuscumque causis per eos movendis quacunque ratione, vel causa, que excogitari possent; eis ministrent justitia complementum. Idemque constat ex conservatoria Clementis VII. pro Minimis, & Pii V. pro Domini-

Azor. Sorbus.

Molina. Barbosa.

Lezana.

Glossa.

Rodrig.

canis, & Gregorii XIII. pro Jesuitis. Moneta de conservatoribus, cap. 1. num. 11. & cap. 7. n. 40. Barbosa de potest. Episcopi, allegat. 106. Barbosa n. 2. & 3.

Ex quo bene inferitur non esse necessarium, quod in citationibus circumferantur littere conservatorie, sed sufficit instar aliorum Judicum Ordinarium, quod de eis constat in actis Notarii Curie, ut fieri solet, quoad alios Judices Ordinarios, Ita Peirinus tom. 2. privilegior. Minor. in consil. Gregorii XV. §. 1. num. 2. Lezana tom. 2. c. 10. n. 25. Pellizar. tom. 2. tract. 8. c. 8. n. 101.

Potestas autem ad eligendum conservatores, solum dari potest à Papa, & non à Nuncio, nec à Legato à latere, & maxime post Constitutionem Gregorii XV. 20. Sept. 1621. & in ordine est 9. & inde dicuntur conservatores Judices delegati à Papa, & est communis Doctorum, Rodriguez tom. 1. q. 65. art. 1. Miranda part. 2. manual. q. 47. art. 1.

Quibus autem Datur facultas eligendi conservatores, sunt omnes Pralati, & etiam Fratres particulares Regulares, ut nobis Carmelitis concessit Sixtus IV. Prædicatoribus, Pius V. Minimis, Julius I. Clemens VII. & Gregorius XIII. Societati; & etiam alijs Religionibus alijs Pontifices, & omnibus saltem per communicationem, quæ privilegia concessa late refert Lezana tom. 2. c. 10. à n. 4.

QUESTIO II.

Quenam persona eligenda sint in Conservatoribus?

SUMMARIUM.

- 6 Conservatores eligendi sunt persona in dignitate constituta, & n. 7.
8 Breve Innocenti nihil obstat.
9 Nec quadam Cardinalium declaratio.
10 Decretum Gregorii continet Consilium, & non præceptum.
11 Secundum communem usum non requiruntur conservatores electi in Synodo.
12 Quolibet tempore eligi possunt à Regularibus.

Conveniunt omnes juxta diplomata Apostolica, quod qui eligendus est in conservatore, debet esse insignitus aliqua Ecclesiastica dignitate, ut Cardinalis, Episcopus, Vicarius Episcopi, Abbas, dignitates etiam Canonici Cathedralis, Prior Ecclesie secularis Collegiate, Vicecancellarius Papæ, Camerarius Pœnitentiarius, Clericus Curie, Auditor Curie, Auditor Rotæ, vel etiam obtinens personatum, ut ait Gregorius XV. in sua Constitutione edita 20. Septembris 1621. in ordine 9. ait, quod eligendi sunt conservatores, vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes. Ut verbi gratia est Diffinitor: Personatus est præminentia, seu præcedentia, sine jurisdictione, qualis reperitur in aliquibus Clericis, qui præcedunt Canonicis in Ecclesijs Cathedralibus, seu Collegiatis, & in Religionibus. Diffinitores etiam, & alijs hujusmodi, & inde dignitas Diffinitoris reddit personam

Barbosa.

3.

Peirinus.

Lezana.

Pellizar.

4.

Rodrig. Miranda.

5.

Lezana.

personam habilem, ut eligatur in conservatorem, ut ex multis probat Lezana tom. 2. cap. 13. num. 2. & late in consilijs, consil. 40. n. 86. & deinceps.

7. Possunt etiam eligi in conservatores Pralati Regulares, utpotè Generales, Commissarii Generales, provinciales, & etiam alii inferiores, ut Priores, Guardiani, Vicarii, in capite, sunt enim persona Ecclesiastica in dignitate constituta. Ita colligitur ex jure communi cap. finali, in princip. de offic. delegat. in 6. & docent Moneta de conservat. cap. 5. quest. 8. num. 79. & 80. Tambur. de jure Abbatum tom. 2. disp. 14. quest. 4. num. 1. Joan Nald. in quest. de hac re à §. 80. usque 87. M. Lezana consil. 40. num. 85. Portel. verb. conservator. num. 2. & idem docent Rodrig. Perinus, Fragojus, Pellizarus, Ventigilla, quos citat, ac sequitur M. Fr. Anton. ab Spirit. Sancto. Director. Reg. tom. 1. tract. 2. disp. 1. sect. 4. nu. 201. Quod confirmant ex quodam privilegio Clementis VIII. concessio minimis, quod ad priores dirigitur, quo nomine vocantur Pralati Regulares, Rodriguez tom. 1. quest. 65. artic. 3.

8. Nec contra hoc obstat breve Innocentii X. sub die 14. Maii 1648. quod nobis proponit Diana, part. 9. tract. 9. in causa inter Patres Societatis, & Episcopum Angelopolitanum, ubi multa circa conservatores determinantur; Sed si totum dictum Breve attentè legatur, nihil habet contra nos, ac quod Regulares eligantur in conservatores.

9. Nec etiam obstat quædam declaratio sacre Congregationis Episcoporum Regularium in una Turriana pro die 6. Octobr. anno 1617. quam refert Barbosa de potestate Episcoporum. Allegat. 106. quia talis declaratio non ostenditur authentica, & variè circumfertur, ut ex Gavanto, in Manual. verb. conservator. num. 6. testatur. Lezana in consil. consil. 40. num. 85. Imò ut implet Lezana in summa c. 10. num. 14. in fine. Abbati Ordinis Olivetani concessum est à sacra Congregatione posse eligi in conservatorem. Ita Barbosa in collect. Bullarum verb. Abbas Olivetanus: de quo privilegio participant aliæ Religionem, ut tenet Pellizar. tom. 2. tractatione 8. cap. 7. sect. 4. num. 90.

10. Gregorius XV. in sua constitutione data 16. Octobris 1621. dicitur §. 4. sanctitas sua admonitis voluit omnes locorum ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diocesanis eligant hujusmodi judices. Dum Pontifex ait. Admonitis voluit, ait citatus Lezana c. 10. num. 55. indicare præceptum, quo Pontifex obligat, melius tamen Pellizarus citatus n. 89. ait, quod de obligatione imponenda, stricta non debet fieri interpretatio. Verbum autem Admonito, juxta propriam significationem non importat præceptum, sed consilium; unde in præsentem non significat præceptum, sed consilium.

11. Juxta prædictam constitutionem Gregorii XV. eligendi sunt judices conservatores ex his, qui sunt designati in Synodo Provinciali, vel Diocesana ab Episcopo deputati, tamen in his Regnis Hispaniarum, ac Portugallia tales judices non dantur, nec habentur, & ideo Regulares possunt eligere illos viros, Sylveira Opuscula.

Lezana.

7.

Moneta. Tambur. Naldus. Lezana. Portel. Rodrig. Perinus. Fragojus.

8.

Diana.

9.

Barbosa.

Pellizar.

10.

11.

qui habeant qualitates ex jure communi, & sint constituti in dignitate Ecclesiastica, nam cum Regulares habeant jus eligendi conservatores, & non dantur Synodales designati ab Episcopo, possunt eligere tales, ut dictum est, nam ad impossibile nemo tenetur, ut patet ex lege, si quis in gravi §. in principio, ut Bartol. & alij, quod procedit in sententijs, & præceptis, ut ex multis probat Surd decis. 289. num. 21. Flamin. de resignat. benefic. lib. 11. quest. 13. n. 9. Bellerus disquisit. cleric. par. 2. tit. de cleric. debitore §. 1. n. 4. Barbosa in axiomat. juris, axioma. 118. n. 7. Deinde constitutio Gregorii XV. quoad hos conservatores non est usu recepta in Hispania, ac Portugallia, & omnes ferè, qui de facto dantur, non sunt designati in tali Concilio, & quod hoc non sit necessarium, videtur decum ab Innocentio X. ann. 1648. die 14. Maii pro Episcopo Angelopolitano, & Patribus Societatis ad septimum.

12. Conservatores tempore assignato à Gregorio XV. tali tempore transacto, quocumque alio Religiosi quancumque eis placebit, eos valent eligere, quod declaravit sacra Congregatio apud Barbosam in collectanea Bullarum verb. Regulares primo, & ex ipso. Lezana in summa tom. 2. c. 10. n. 58. Belafius verb. Conservator. n. 58.

QUESTIO III.

De obligatione, ac potestate Conservatoris.

SUMMARIUM.

- 13 Conservatores electi à Regularibus tenentur acceptare.
14 Ex aliqua justa causa possunt se excusare.
15 Solent cognoscere de injurijs, ac violentijs manifestis.
16 Quid sit injuria, quid violentia, & quando conservator dubitat.
17 Conservator potest procedere ad tuendos familiares syndicos, & alios conventuum, & num. 18. seq.
18 Cum Episcopis se habeat reverenter.

13. Conservatores electi à Regularibus tenentur acceptare, non solum ex charitate ad propulsandas injurias, ac violentias, sed etiam rigido præcepto Summorum Pontificum, quod non solum obligat ad mortale, sed etiam ad excommunicationem majorem ipso facto. Ita præcipit Julius I. pro Fratibus Minoribus, & Leo X. in favorem mendicantium; & rigidus Pius V. pro Dominicanis sub pena excommunicationis late sententiæ ac suspensionis Papæ reservatæ. Ita Rodrig. Peirinus, quos citat, & sequitur Lezana citatus, num. 18. Pellizar. tract. 8. c. 8. num. 97. M. Fr. Anton. à Spirit. sancto, director. Reg. tom. 1. tract. 11. disp. 1. sect. 4. n. 208.

14. Tamen Conservator potest ex aliqua vera, ac legitima causa se excusare, nempe ob senectutem, morbum, vel alias occupationes, ob quas impeditur in tanto onere portando, ut

12.

Barbosa.

13.

Rodrig. Peirina.

Lezana.

Pellizar.

Fr. Anton.

14.

notat Pellizarius citatus, num. 98. alias præceptum esse nimis rigidum, jugum autem Christi est suave, & onus leve est.

15. Potestas, & auctoritas horum conservatorum, etsi antiquitas esset valde ampla juxta diplomata Sixti IV. pro Carmelitis, & Pii V. pro Dominicis; Clementis VIII. pro Minimis Gregorii XII. pro Jesuitis. Tamen hæc potestas restricta est per bullam Gregorii XV. & per quandam declarationem sacre Congregationis anno 1624. Ubi decernitur, quod solum conservatores possunt agnoscere in causis, in quibus Religiosi fuerint rei, etsi in aliquibus sint actores pro injuriis, & violentiis propulsandis, hoc tamen debet esse, quando injuriæ, & violentiæ sunt notæ, & manifesta, ut constat ex decreto Bonifac. VIII. quod incipit: Hac Constituit, & etiam cap. finali de officio, & potestate, judicis de leg. Tamen conservator generaliter facit illam indaginem, quæ in notis, & manifestis adhibere solet: Si autem conservator dubitet, de illa notorij qualitate, ut manifeste appareat, tunc summarie poterit omnia examinare & inquirere, an illa injuria, seu violentia, de qua tractatur, sit notoria, & super hoc probationes, & documenta recipere ad procedendum in sua jurisdictione, an injuria, de qua agitur, sit notoria. Ita Miranda tom. 2. quest. 47. art. 8. Barbosa de officio, & potestate, Episcopi. allegat. 106. num. 18. Cui enim committitur jurisdictio, committitur quoque sine quo illa exerceri non potest. Barbosa citatus, n. 20. Moneta de Conservatoribus, cap. 7. quest. 3. num. 90. & 93. Molina tom. 6. disp. 29. n. 2.

Si vero queras quid sit injuria, vel violentia manifesta? Respondeo ex Tuscho verb. manifestum conclus. 71. n. 7. Monacho de iudice Delegato cap. 1. n. 3. Injuria est quando persona indebitè, & male afficitur. Violentia vero, est injuria cum vi, impetu, & personis, vel ejus rebus sit, quid autem sit manifestum, & notorium, superiori numero dixi; ex quibus bene sequitur, quod debent conservatores cognoscere de injuriis, ac violentiis illatis ipsi Religiosis ipsosque tueri tam in suis privilegiis, quam in suis omnibus rebus, ut declaravit Sacra Congregatio anno 1624. post decretum Gregorii XV. quod debeant defendere Regulares à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, & propriis bonis frui, aut uti impediuntur; de quo uterque Rodrig. Portellus, Joannes à Cruce, quos refert & sequitur Diana 3. part. tract. 1. Resolut. 20. Lezana tom. 2. c. 10. n. 62. & 67. Fr. Anton. ab Spiritu sancto, n. 215.

Imò etiam & possunt dicti conservatores procedere pro servorum & famulorum Religiosorum manifestis injuriis, & violentiis modo superius explicato, quoad religiosos, tamen hoc privilegium videtur limitari à Concilio Tridentino sess. 24. c. 11. dum ait, quod dicto privilegio gaudent, qui monasterio actu serviunt, & intra eorum sepra, ac domos resident subque eorum obedientiam vivunt, ut notant Rodrig. tom. 1. quest. 65. art. 17. Lezana citat. cap. 10. n. 65. Villabos 2. p. tract. 35. diff. 6. num. 9. Imò etiam possunt prædicti conservatores procedere ad tuendos syndicos, &

procuratores Fratrum in casibus pertinentibus ad suum officium non verò quoad ea quæ ad ipsas personas particulares pertinent quod aperte constat ex bulla Clementis VIII. apud Casarubium in compendio privileg. Mendic. verb. Procuratores Fratrum, Rodriguez tom. 3. quest. 39. art. 4. Portellus in dub. Regular. verb. Syndicus Minorum, Lezana cit. n. 66.

Conservator ad tuendas personas Regulares, & alias eis proximè additas, potest procedere cum censuris, & eas aggravando, ut patet ex jure, cap. sanè 2. de potestate, judicis delegati, & aperte deducitur ex cap. Auctoritate de privilegiis, in 6. nam quoties committitur alicui aliquod negotium, etiam ei datur illud sine quo tale negotium non potest impleri, frustra enim esset talis jurisdictio, si secum non involveret viam coactivam. Ita Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 35. quest. 10. Moneta de conservatoribus, cap. 7. num. 179. Et hoc specialiter conceditur Religiosis, ut patet ex suis privilegiis, ex Bulla Sixti IV. pro Carmelitis, Clementis VIII. pro Minimis Pii V. pro Dominicis Gregorii XIII. pro Patribus Societatis. Cum verò conservatores procedunt contra Episcopos, debent cum multa modestia, reverentia, ac circumspicione se habere, ut advertit Peirin. tom. 2. privileg. Minimerum in Constit. Gregorii XV. §. 6. n. 45.

18. Quod verò ad dicta decreta, ac declarationes editas à Sacra Congregatione jussu Sanctissimi Papa, vel ipso consulto, res est extra dubium, quod obtineant vim legis, & effectus sanctionis decisivæ, & auctoritativæ. Et ratio est manifesta, quia factæ sunt auctoritate Papæ: ergo obtinent eandem auctoritatem, quam habent, ac si immediate emanassent ab eo, in moralibus enim idem est facere per alium, ac facere per se. Salas de legibus, tract. 14. disp. 21. sect. 12. Peirin. tom. 1. de subdito q. 1. de obedientia cap. 25. Lezana tom. 3. in summa verb. Sacra congregatio.

RESOLUTIO XXV.

Declarationes Cardinalium, ac Decisiones Rotæ.

QUESTIO PRIMA.

An Declarationes Cardinalium habeant vim legis, & quid ad hoc requiratur?

SUMMARIUM.

- 1 Facultas data à Sixto V. Cardinalibus.
2 Decreta Congregat. consulto Papa, habent vim legis.
3 Quæ sunt non consulto Papa non esse leges tenet prima sententia.
4 Eius fundamentum.
5 Opposita sententia vera, & ejus fundamentum, & num. 6.
7 Requiritur ut talis declaratio exhibeatur authentica.
8 Requiritur ut de ejus publicatione constet, & num. 9. & 10.

U O A D has Illustrissimorum Cardinalium declarationes extat bulla Sixti IV. edita anno 1588. & in ordine est 7. & incipit: In mensa. In qua postquam Pontifex sibi reservavit potestatem convocandi Concilium, ac res fidei definiendi, subdit, Cardinalibus præfatis interpretationi, & executioni Concilii Tridentini, si quando in his, quæ de mo-

rum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis judiciis, & aliis, quæ humana statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerferit interpretandi facultatem (nobis tamen consultis) impertimur, Ex quibus verbis aperte constat huic Sacre Congregationi, datam esse facultatem interpretandi decreta Concilii Tridentini, hac tamen conditione ut Summus Pontifex consulatur, Ex quo ortur magnum dubium, an prædictæ declarationes habeant vim legis, an sint tantum quædam declarationes doctrinales magni ponderis, & auctoritatis.

Quod verò ad dicta decreta, ac declarationes editas à Sacra Congregatione jussu Sanctissimi Papa, vel ipso consulto, res est extra dubium, quod obtineant vim legis, & effectus sanctionis decisivæ, & auctoritativæ. Et ratio est manifesta, quia factæ sunt auctoritate Papæ: ergo obtinent eandem auctoritatem, quam habent, ac si immediate emanassent ab eo, in moralibus enim idem est facere per alium, ac facere per se. Salas de legibus, tract. 14. disp. 21. sect. 12. Peirin. tom. 1. de subdito q. 1. de obedientia cap. 25. Lezana tom. 3. in summa verb. Sacra congregatio.

Tota difficultas est, quando tales declarationes fiunt à Sacra Congregatione, non consulto Papa, nec ejus mandato. Prima sententia affirmat, non tenere vim legis. Navar. lib. 5. Consilior. consil. 15. de sentent. excommunic. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. nu. 10. circa finem. Valquez 1. 2. disp. 177. cap. ultimo Veiga Minim. verb. Descommunico casu 226. pagin. 967. P. Pizarius tom. 1. tract. 4. cap. 4. num. 108. Portel. 2. tom. Respons. casu. 31. num. Bonacina Italus tom. 2. disput. 2. de legibus quest. 1. punct. 8. num. 4. & citat Suarez, Salas, & alios.

Probatur: quia potestas commissæ est consulto Summo Pontifici, ut patet ex Bulla Sixti V. citata, & tamen Sacra Congregatio, ut notat Salas disp. 21. de legibus sc. 1. 2. atqui ex declarationibus, quæ circumferuntur, raro in eis ut patet, consultatur Summus Pontifex, sed tantum in casu raro, & in re valde difficili; si ergo ordinariè loquendo non servant conditionem positam in sua delegatione, eorum declaratio non potest habere vim legis. Secundò, quia tales declarationes sæpè inter se contrariantur, ut notarunt Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 21. sect. 12. & Portellus citatus, ergo nulla est authentica, aut assignetur, quænam ex illis sit authentica, non primà, aliàs non succederet illi secunda contraria, non secunda, quia illi non habent potestatem ad derogandam legem, sed interpretandam, ergo nulli illarum declarationum est standum. Tertio, si habent vim legis, debebant authentice publicari sicut & cæteræ leges, ac etiam declarationes authentice legum à principe ut haber communis usus in hoc nostro regno.

Tamen opposita sententia, quod nempe prædictæ declarationes habeant vim legis probabilius, & mihi verius videtur duabus positis conditionibus statim explicandis. Ita Manuel Rodriguez tom. 1. quest. 11. artic. 2. Garcia de beneficiis in prefatione. Castro Paulus tomo primo, tractatu 3. disputat. 5. punct. 3. §. 1. num. 6. folio mihi 199. Salas disput. 21.

sect. 12. fol. 566. ubi alios citat, Barbosa statim allegandus.

Primo probatur, quia Sacra Congregatio, ita declaravit suas declarationes, ac decreta talem habere auctoritatem, ut referunt Garcia citatus proximè, Zerola in praxi Episcoporum, p. 1. Zerola Salas de legibus disp. 1. sect. 12. Barbosa in Collectione Bullarum, verb. Congregatio pro interpretat. Concilii Tridentini. Secundò, quia Sacra Congregatio hujusmodi decisiones, ac decreta instar legis veneratur, & eas allegat ut patet ex multis decisionibus Rotæ, quas adducunt Barbosa citatus, Bonacina tom. 2. disp. 1. de legibus, quest. 1. punct. 5. num. 4. Tertio, quia licet in Bulla Sixti V. Illustrissimis Cardinalibus detur facultas consulto Summo Pontifici ad hujusmodi edenda decreta, tamen cum passim, & ferè quotidie hujusmodi decreta emanent, sciente, consentiente, ac presente Romæ Summo Pontifice, imò & in suis Bullis, ut statim dicam de Urbano VIII. earum faciat mentionem, & hoc per spatium octoginta annorum, communi usu, ac universali consuetudine videntur tanquam receptæ, & ut habentes legis vim.

Ad hoc tamen requiruntur duæ conditiones, & quia multæ declarationes circumferbantur, vel falsæ, vel vitiatæ. Ideo Urbanus VIII. suo diplomate die 11. Aug. 1632. præcepit, Hujusmodi declarationibus, decretis seu decisionibus tam impressis, quam imprimendis ac etiam manuscriptis, nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam sed tantum illis, quæ in authentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentiissimi Cardinalis Præfati, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munita fuerint. Ut referunt Barbosa supra citatus, & Lezana etiam num. 5. Ex quo manifestè constat, talibus declarationibus, ac decretis, quæ prædicto modo non fuerint munita, non esse plenariam fidem adhibendam, licet semper cum probabili fide sint veneranda.

At verò tales declarationes quamvis authentice de illis constet, tamen si publicatæ non sint, nec de earum publicatione constet, non habent vim legis, ut teneamur illas sequi. Ita Bonacina tom. 2. disp. 1. quest. 1. punct. 8. Bonacina num. 4. Secunda pars, Lorca 1. 2. disp. 18. Appendice circa finem, Salas disp. 2. sect. 9. in fine, Salas & disp. 1. sect. 1. num. 8. & inde indicat eadem disp. 12. sect. 12. Corollario 5. sine Suarez generaliter loquens de omni declaratione facta à Principe lib. 6. de legibus, cap. 1. num. 3. Probatur, quia publicatio est de essentia legis, sic & similiter declaratio Principis, ad hoc ut vim legis habeat, publicatione indiget.

Nec satis est, quod aliqui dicunt, quia publicatio est requisita ad legis Constitutionem, non verò ad illius declarationem, quia declaratio cum ipsa lege à principio inest, & ut cum ipsa lege promulgatur, l. Ita fidei, ff. de jure fisci.

Sed contra est solemnis Principum consuetudo, ut legum declarationes publicentur in loco consueto, & multæ declarationes Illustrissimorum Cardinalium publicantur, & ex Bonacina notat Lezana citatus, verb. Sacra Congregatio, num. 11. Inde præcipitur, ut talibus declarationibus non adhibeatur fides, nisi illis

Sixtus IV. Pius V. Clem. VII. Greg. XIII.

Bonif. VIII.

Miranda, Barbosa.

Moneta, Molina.

16. Tuscho, Monach.

Sacr. Congr.

Joan. à Cruce, Diana, Lezana, Fr. Anton.

17.

Trident.

Rodrig. Lezana, Villalobos.

Casarub. Rodrig. Portel. Lezana.

18.

Peirin.

Salas, Peirin, Lezana.

3.

Navar.

Sanchez, Valquez, Veiga, Pellizar, Portel, Bonacina, Suarez.

4.

Salas.

5.

6.

Garcia, Zerola, Salas.

Barbosa, Bonac.

7.

Decretum Urbani VIII.

Barbosa, Lezana.

8.

Bonacina, Lorca, Salas, Suarez.

9.

10.